

tatus, et olim teste p. *ult.* ad Collegium ducale artistarum datus a Martino Sawpeck canonico ad S. Stephanum Wien. et plebano in treskirchen est Florilegium e D. Bernhadi Operibus, five Bernhadinus, seu *Exceptiones*, seu denique *Flores*, bene distinguendi a Floreto S. Bernhadi in versus redacto, et cum *Commento* edito *f. l.* et *a.* item *Daventriae* 1499. 4. Constat Opus istud *Libris X.* cum *Append.* de B. V. Maria et ex Epistola ad Robertum Monachum, compilatoremque habet Guilelmum O. S. B. e Coenobio S. Martini Tornacensi circa 1240—46. quem e *Codicibus* detexerunt Sanderus, Mabillonius, Val. Andreas, Job. Bunderius, cum ceterum Opus ipsum vulgo *ἀνωνυμὸς* ferretur. Tale est in praesenti *Codice*, tale in edit. *Paris.* 1499. 4. quam memorat Oudinus T. III. col. 203. et ex eo *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. VII. p. 154. tale in edit. *Lugd.* 1556. 8. *min.* quae mihi adjacet, quamque idem *Fabricius* L. II. p. 227. ad *Matth. Audebertum*, qui eam curavit, prave tanquam ad autorem defert. Tale porro etiam est in Editionibus multo antiquioribus, quae hos Viros latuerunt, puta *Norimbergensi f. l.* et *a. f.* preli *Sensenschmidiani* circa 1470. et *Coloniensi* per Job. Koelhoff f. anni, ut Typographus hic non semel dormitabat, 1400. cui tamen in binis Exemplis annus 82. antiqua manu adscriptus visitur. Vide *Suppl. meum ad Annal. Maitt.* P. I. p. 145. et II. p. 510. Initium jam in *Codice* facit: *Prologus in*

*opus sequens. Cum non essem aliquo exercitio (Norimb. alicuius, Lugd. alicui) magnopere occupatus &c. Libris singulis praemittitur, ut in Lugd. Elenchus Capitum, qui in Norimb. seorsim folia 4. efficit, et a Compactore Operi vel anteponi, vel subjici potest. Liber I. orditur: Quid est deus? Qui est. (prave Lugd. Quid) Merito quidem. Nil competentius eternitati quae deus est. &c. Excerptum ultimum supra memoratum ex Epistola ad Robertum Monachum brevius est in Codice, quam in Editis; incipit enim primum a verbis: Retus ordo requirit &c. et jam definit in his: Quod scimus cum necesse non est, in necessitate nescimus.*

## CCCCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 54 XIV. Folior. 92. 4. commode scriptus, et coloribus illustratus, quondamque, ut *fol. 6.* notatur, S. Seuerini de neapoli Congregationis Casin. alias sancte Justine, laboriosum est Florilegium Sententiarum ex *Epistolis CCCCXXXVI. S. Bernardi Claraev. Abb.* ordine alphabetico institutum, cujus Autor manifestus fit e sequente Operis clausula: *Explicit tabula super 336. epistolis beati Bernardi, cum dictis ejusdem ordinatis per materias secundum literas alfabeti, edita de mandato Sanctissimi in Christo patris et domini, Domini pape Johannis 22. a fratre francisco toti de perusio, de ordine minorum et episcopo Sarnensi. Nihil de hoc Vi-*

ro in *Waddingi Bibl. Ord.* nihil in vita *Johannis XXII.* apud *Ciaconium*, eiusque *Additores*, nihil praeter nudum nomen et annum 1333. apud *Ughellium* in *Italia sacra*, Catalogoque *Epp. Sarnensium Salernitani Suffraganeorum.* Solus *Baluzius* in *Not. ad Vitas Papar. Avenion. col. 735.* et ex eo *Oudinus T. III. col. 880.* Viri

meminere, *Traetatum* ab eo *de Potestate Ecclesiae* scriptum circa an. 1327. e *Cod. 506. Biblioth. Colbert.* indicantes. Huic igitur *Florilegium* nostrum adde. Praefert illud *Elenchum Personarum*, ad quas datae sunt *Epistolae* et harum principia ad sequentem modum:

1. *Roberto nepoti suo ab ordine cisterciensium ad cluniacenses absque licentia transeunti.* Satis et plusquam fatis.
2. *Fulconi adolescenti.* Bone indolis adolescenti.
3. *Quibusdam monachis (Canonicis).* Exortatio illa. &c.

Usque ad *Epistolam 124.* decurrit aequaliter cum *Edit. Maur. Opp. Bern. T. I. Paris. 1690. col. 127. f. Elenchus* iste; deinceps vero declinat, habetque *Epistolis 108. minus*, quam *Edita*; interim gratum certe fuisset *Editoribus*, si aliquam ejus habuissent notitiam, cum propter ordinem, tum etiam propter inscriptiones *Epistolarum* et vel ipsum *Textum.* *Elenchum* excipiunt *Monita tria* de usu ipsius *Florilegii* hoc initio: *Ad evidentiam tabule infra scripte super epistolas beati Bernardi notandum primo, quod harum epistolarum quaedam sunt breves ut medij folij, uel unius integri seu minoris spatij, et iste non diuiduntur. quaedam uero sunt prolixae, et iste secundum prolixitatem maiorem uel minorem diuiduntur in plures et pauciores partes, quae partes ordinate significantur per literas alfabeti positae ordinate, ut prima pars p. a. 2<sup>a</sup> pars p. b. et sic de aliis. Unde numerus quotat epistolam, litera uero par-*

*tem &c.* Tandem a verbo *Abbas* incipit ipsum *Opus* ita: *Abbatis sententiae debet stari secundum regulam monachorum. 314. &c.* Sequitur *Abissus. Abstinentia. Abutentes. Abuti. Accademicorum. Aelus &c.* Ultimum est: *Zelus loquendi pro innocente contra prauos calumpniantes. 233. s. Monachus insurgens. a.* Promptum hujus *Florilegii* usum non nisi eos habere, qui *Codicem* nati fuerint, in quo *Epistolae* ordine nostro decurrant, vel me tacente quivis videt.

## CCCCXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 232 partim XIII. partim XII. f. min. luculente magnam partem scriptus et rubricis distinctus, olim *J. Alex. Brassicani*, dein *Job. Fabri Ep. Vien.* ut anterior praefert *Theca*, complectitur: I. *Hildeberti Ep. primum Cenoman.* dein *Turonensis Archiepiscopi* circa an. 1134. de functi *Epistolas LXXVIII. e C. XXIX.*